



V₁ 54-95

V. a 56-97 pag 57^a-59^a
B 5 Vol. II.

DE
SCHOLASTICA DISCIPLINA

74

22

CONTINUATIO TERTIA

PROGRAMMA

QUO

21 =
14 au 80 A 6231

EXAMEN PUBLICUM

PRIMI ORDINIS

STEPHANEI

ULT. DIE APR. ET CAL. MAIIS

HOR. POMER. A SECUNDA

PUBLICE INSTITUENDUM

INDICIT

CHRISTIANUS GODOFREDUS STRUENSEE. R.



Halberstadii

Typis Delianis MDCCLXVII.

Primo





100

EXAMEN PUBLICUM

PRIMI ORDINIS



Proximo programmate duas quæstiones, in *disputa-
tione de scholastica disciplina* explicandas, *Qui?*
&, *in quibus officiis?* continendi essent, utpote
explicatu faciles, simul complecti decreveram.
Sed dum de priore, etsi paucissimis, dissero, factum est, ut
paginis procedentibus, alteram, in qua eram de *ipsis* officiis
disputaturus, ne scriptio modum excederet, ad aliud tempus re-
jicere coactus fuerim. Quam hoc tempore, cum *habendo ste-
phanei nostri ordinis primi publico examini* programma præmit-
tendum sit, quo fidem liberem, paucis perstringam. Neque
enim necesse puto, aut officiorum omnium censum hic agere,
aut de eorum natura, & rationibus præcipere, quod ab illis
abunde factum est, qui omnem de moribus disciplinam, seu
philosophicam, seu christianam persecuti sunt. Mihi hoc
tempore suffecerit, pauca animadvertisse, quæ, cum, *quibus
officiis tirones instituendi sint?* quæritur, maxime tenenda esse
videntur.

Primo

Primo quidem recte eos præcipere arbitror, qui, *in omnibus officiis, quæ tam lex nature, quam christiane doctrine ratio exigat, severe & diligenter tenellos animos exercendos esse statuunt.* Non ignoro, esse etiam inter eos, qui Christiani dici volunt, quod maxime dolendum videtur, qui existiment, hanc ætatem severioris & constantis virtutis esse impatientem; indulgendum esse ætati teneræ, quæ non satis roboris habeat, ut tantum officiorum onus sustinere possit; connivendumque ad cupiditates, acriores quippe in ea ætate, & vehementiores; nec esse postulandum, ut non extra oleas vegetur, incitata & stimolata fervore juvenili: multosque adeo arbitrari, non posse quemquam constanti ætate sanum esse, nisi qui adolescentulus aliquando insanierit; nec raro, quanto quisque nequior leviorque fuerit, tanto eum deinceps probiorem, gravioremque reperiri. Sed ab hac sententia me abesse longissime, eamque mihi plane detestandam videri, ingenue profiteor. Quod si enim, teste Cicerone, inter præcitos Romanos exstiterunt aliqui tanta virtutis indole præditi, ut profligatis omnibus cupiditatibus nihil in omni vita, nisi quod honestum & cum virtute conjunctum esset, expetendum putarent; quos divinis donis instructos & exornatos esse recte dicit: profecto ab his, quorum mentes Evangelii lacte ab ineunte ætate aluntur, saltem potuissent, & debuissent ali, ut eorum omnis vita cum officio & honestate conjuncta sit, postulare poterimus. Atque nisi tantum non omnis Christiana disciplina jaceret: re ipsa, & exemplis, cum infantum, tum puerorum, adolescentumve comprobaretur, tantum abesse, ut hæc ætas virtuti inimica sit, aut impar, ut vix sit, quæ arctiorem & constantiorem cum ea coeat amicitiam & societatem. Certe sic mihi persuasi, non posse capitaliorem juvenumque saluti inimiciorum pestem inveniri, quam eam persuasionem, erroremve, non posse, aut debere puerum, adolescentemve, tam sancte vivere, quam senem, eisque injuriam

aid

A 2

fieri,



fieri, si, quemadmodum constantior ætas, arctiori legum custodia circumdentur. Quod si enim illis ad omnis gratiæ vitæque fontem tam est aditus apertus, & reclusus, quam fenibus; si a spiritu sancto tam possunt regi, & Christi virtus non minus in illis efficax est: profecto & poterunt, & debebunt pari sanctitate & innocentia esse; præsertim, cum ipse ætatis fervor virtutem tam possit incendere, quam senilis segnitia ejus studium refrigerare solet. Atque si hoc persuadetur adolescentibus, ut se ab officio frequentius, longiusque recedere possent, quam alios: nonne quanto longius ab eo refugient, tanto magis a vera felicitate removebuntur? Ut puerorum salutis nefarii proditores censendi sint, qui quod cum virtute consistere nequit permittere, & nefarium pestilentissimumque errorem, juvenilibus animis suapte natura insitum suo adfensu & iudicio confirmare & corroborare religioni non ducunt: cum de eo saltem dubitari nequeat, uti quisque officii sit studiosissimus, & sanctissime vivat, ita eum in literis, optimarumque artium scientia maximos esse facturum progressus.

Alterum, quod moneo, cum his, quæ jam dicta sunt arctissimo vinculo copulatum est: *dandam præsertim esse operam, ut non modo externæ honestatis cancellis includantur discentes, sed fide, & intimo Christi servatoris nostri amore gubernentur.* Quemadmodum non deerunt fortassis, quibus hoc præceptum parum probabitur: ita mihi omnes illos adfensuros confido, quibus Christi disciplina cognita, eamque apud nos valere debere persuasum est. Quid enim? ulline consuli posse putamus, Christiano præsertim homini, quamdiu ad hæc sacratissima adyta aditus non datur? Quis est quem fugiat, hoc mentis habitu, & conformatione omnem non modo hujus, sed etiam futuræ vitæ salutem contineri? Ut verendum videatur, ne qui istuc homines deduci non velit, is eos unica & verissima salute spoliatos maxime cupiat. An, quam diu ex hoc fonte non manabunt officia, ullum eorum Deo probari posse putamus, qui se non aliis fructibus



bus delectari iudicavit, quam qui in bona & felici arbore pro-
veniunt? nisi forte parum refert externa specie pulcrum homi-
nibus videri, turpem autem & inquinatum a Deo verissimo atque
gravissimo harum rerum æstimatore iudicari. Accedit, quod
nisi ex hoc perenni fonte derivatur virtus, ea perfecta esse nullo
modo potest. Quam multa ab his, qui hoc amore Christi non
ardent, omittentur! quam multa aut non volent sequi, aut non
poterunt! quam multa manca erunt & mutila! quantum sibi
onus impositum querentur, nisi dulcissimus in Jesum amor, quæ
ceteris difficilia & molesta videntur, facilia imo jucunda effe-
rit! quam facile blandimentis & lenociniis suis animum corrup-
pent, aut vi sua subigent, vitia, nisi dulcissimo divini amoris sen-
su meliore & dulciore voluptate perfusus illa tanquam fallacia &
impura ultro respuet, & detestabitur, cælesti autem virtute vim
repellet, imo proteret! Scio, & experior quotidie, a nobis
hanc gravissimam rem effici in nemine posse, sed esse gratuitum
dei munus: scio etiam *veram disciplinam Christianam omnem* ita pro-
pemodum extinctam & deletam esse, ut his, qui *scholasticam*
tueri, & huic ejus gravissimæ parti satisfacere cupiunt, cum
sexcentis obstaculis, quæ amoliri frustra fatagunt, colluctandum
sit, eamque ob causam iniqua bonorum interdum parentum que-
rela videatur, qui cum pluribus annis suos aut perverterunt
ipsi, aut perverti passi sunt, magistrorum officium & diligentiam
requirunt, si forte eorum institutione non efficitur in hac re, quod
nec ipsi efficere potuerunt, nec quisquam præter Deum efficere pot-
est. Sed quamquam bonorum magistrorum optimæ voluntati hæc
se incommoda & impedimenta objiciunt: tamen eorum est, has
partes non deserere, sibi que tum persuadere cardinem omnem
in eo verti, tum omnibus viribus, precibus, admonitionibus, &
exemplo præsertim contendere, ut hac in re contineri summum
officium iudicent discentes, seque ad eam rem impetrandam op-
timum servatori totos tradant: cum sciant, quibus hoc persuaderi
possit, eos fore in ceteris rebus ad obsequendum paratissimos.



Tertio, si quid iudico, elaborandum erit, ut *discentium animi legibus, monitoribusque parere discant, adsuescantque.* Vix est in tota virtutum cohorte, quam magis negligent hi, qui apud Musas nomen profitentur. Non jam loquor de robustioribus adolescentibus, qui positam in eo libertatem putant, ut immoderati & effrenes legum omnium imperium & vim non contemnant solum, sed perfringant, & proculcent: etiam in inferioribus ludis hæc effrenata procacitas caput erigere, & num, quod concupivit, perficere possit, tentare solet: cui teterimæ cupiditati vehementissime, equis virisque, ut ajunt, obstendum puto. Absit, ut liberalia & erecta ingenia opprimi aut abjici velim: si quis alius, ego profecto angustas & serviles mentes, a quibus nihil præclari expectari potest, a literarum sacrario procul arcendas esse arbitror. Sed quis non videt quanto intervallo hæc sint a se disjuncta? Amplectenda sunt ingenia præclara, ingenua, liberalia, excellentia: sed moderata, plena pudoris, monitoribus obsequentia, & quæ sua sponte ad optima quævis feruntur. Non quidem nescio, quemadmodum in hominum mentibus nihil plane incorruptum est: sic etiam his præclaris dotibus adspersam esse labem aliquam, ut qui ingeniis excellunt, sint etiam præfidentiores, difficiliusque aliorum auctoritati cedant; cui cupiditati nisi resistitur, eo tandem delabuntur, ut spreta omni monumentum auctoritate, legumque imperio, libere imo dissolute in diem vivant, omnemque vim, qua continendi erant proterant, & si fieri potest pessumdent: sed quid potest hac pravitate tum ipsis juvenibus, tum commilitonibus eorum, tum toti reip. nocentius, aut perniciosius esse? Nec enim Musæ, verecundæ virgines, cum ejusmodi immoderatis, corruptis, profligatisque adolescentibus familiaritatem jungere poterant, quam illæ non magis fugiunt, quam ipsi improbi adolescentuli: aut non eorum exemplo ceteris vehementer noceri. Et quid, quæso unumquemque, potest tandem cogitari, quod minus conveniat, imo magis pugnet cum fine eo, quem hi, qui
literis

literis operantur, debebant habere propositum? Ex his enim sumuntur, qui Dei dicto unumquemque audientem esse debere aliquando non docebunt modo, sed quibus præ ceteris, ut recta monentibus obtemperandum putent, inculcatum est. Pars legum erunt aliquando custodes & vindices. Qua hi fronte ab aliis, ut legibus obediant, poscent, quarum illi contemptores perpetui fuerunt? Quod denique vitæ genus, aut quæ conditio est, in qua non sit aliorum voluntati obsecundandum, auctoritati obtemperandum, imperio parendum? Quod, ut his, qui omne imperium detrectarunt, non potest non molestissimum esse, sic his jucundum erit, qui ad eam virtutem ab ineunte ætate institui potuerunt.

Huic præcepto addo illud: *diligenter esse cavendum, ne inertia ac desidie se dedant pueri, sed in labore & contentione pueritiam consumant.* Est quidem hæc ætas laboris nimium impatiens: seu quod natura mollior est, seu laborum fructus animo præcipere nequit, seu denique quod literarum initia, quibus instituantur, talia non esse videntur, ut sua jucunditate tenellos animos allicere possint. Sed quo proniores sunt ad laborum fugam; eo sunt diligentius, ne elabi possint, sepiendi: cum sordida plurimorum malorum parens sit atque nutrix. Verissimum est: nihil agendo homines male agere discere: certe qui utilibus, & bonis rebus intentum animum habent, perniciosus, levibus, & malis vacare nequeunt. Accedit, quod, cum sine labore & industria humano generi nihil fere datum sit, plurimis maximisque bonis his carendum sit, qui hujus virtutis sunt inimici. Præstantissima ingenia, quæ adhibita industria summa omnia consequi potuissent, nisi diligenter exercebuntur, aut marcescent, aut vim in optimis rebus collocandam in scelere & flagitiis consumunt: mediocria autem, industriæ auxilium magis etiam exposcentia, ea omissa, nihil, quod probabile videatur, præstare poterunt. Et qui in scholis familiarem sibi laborem non reddunt



reddunt, quando tandem eum adamabunt? Quod enim in his animadvertitur, qui in inferioribus classibus defides atque focordes fuerunt, eos, cum ad superiores traducuntur, raro navos, & industrios reperiri, cum ad focordiam superiore vita corroboratam tædium accedat, quod nasci necesse est, cum se gravioribus negotiis impares esse sentiunt: id etiam his usû venit, qui postquam ætatem in scholis segnius focordiusve egerunt, academias a literis imparati adeunt; quorum non pauci ideo desidia & otio diffuentes omnibus se flagitiis contaminant, quod, quantum in contentione animi boni insit, gustare nunquam poterunt: & quia se proficere non posse intelligunt, nec studiorum dulcedine ducuntur, animum despondent, ut quia vera voluptate perfrui nequeunt, levi & inani se oblectent. Quos sui unquam dissimiles fore existimandum non est, cum eadem causæ, quæ effecerunt, ut superiori tempore laborem horruerint, in omnem ætatem ejus tædium sint parituræ. Cui gravissimo malo facillime occurritur, si puerorum ignaviæ obsistitur: qui, hac propulsata, & diligentia fructu percepto, dulcedine allecti eum in omni vitæ ratione ultro & diligenter persequendum putabunt.

Quintum præceptum adjungo, quo omnem hanc disputationem concludam: *Vehementer esse providendum, ut saltem honestatis externis officiis contineant se, qui in publicis scholis erudiri volunt.* Quod ab omnibus, qui non prorsus dissoluti sunt, non modo potest exigi, sed etiam debet. Cum enim etiam post imaginis divinæ jacturam tantum hominibus supersit virium, ut possint a sceleribus abstinere, morumque factorumque honestatem tueri: certe a literarum cultoribus, ut id suo exemplo comprobent, jure poterimus postulare; quorum non solum ingenia optimarum rerum scientia excoluntur, sed peccora etiam saluberrimis præceptis implentur, quibusque juvenilis pudor



pudor additus custos est, & tutor, a quo hæc præsertim ætas ab omni turpitudine dictorum factorumque tam diligenter arceatur, ut qui hujus custodiam perfringunt, de his, tanquam de depositis, desperandum sit. Quamobrem qui in Deum impii ejus, præceptorumque ejus nefarii erunt contemptores, qui dejerare, imo pejerare religioni non ducunt, sacrorum & religionis profani irrisores, & hostes, audaces, protervi, perfidi, turpes, libidinosi, gulosi, fœcordes, pugnaces, ceterique, qui flagitiis fœdis se nefarie & turpiter coinquinant, hi, cum moniti se emendari non patiuntur, e literarum sacrario, quod suis sordibus conspurcant, tanquam purgamenta everrendi sunt. Nec enim his consuli alia ratione potest: nec eorum commilitones a scelerum contagione prohiberi.

Plura de re, per se gravissima, addenda non puto. Venio ad eam rem, propter quam omnis hæc scriptio suscepta est. Rogo videlicet demisse, officiose & humaniter præter *Reverendissimos Stephanei nostri Patronos, summa dignitate præditos viros*, quibus, tanquam columinibus, urbis, provinciæque salus sustinetur; *maxime Reverendum ministerium*, & in educanda juventute collegas omnes & socios charissimos, omnesque, quibus hæ res molestæ non sunt, ut *primæ Stephanei nostri Classis* examini publico, proximis *Jovis, Venerisque* diebus pomeridianis horis instituendo, interesse in animum inducant: ut discentium studia sua incendant præsentia, &, si qua in instituendi ratione jure reprehendenda animadvertent, docentes meliora moneant; qua re nobis gratissimum facient. Pauciores, pro numero, ex meis explorationi hoc tempore subiicientur. Pars jam ad academiam abiit, *STILLEKE, LERCHE, PURGOLD, KOERTE, ZOELNER, CANITZ*; quibus, ut fundamentis hic rite positis præclarum ædificium superstruant, ex animo optamus: pars epidemica tussi & languore ne interesse



possit, prohibetur. Qui ac'erunt, si quales mihi visi sunt, tales se esse declarabunt, auditoribus, nisi forte meus me amor sefellit, probabuntur. Totius rei ratio sic descripta est, ut prid. Cal. Mai. quid in *linguis, ebraica, graeca, gallica, latina* profecerint: Altero autem die *theologiae, historiae* (post quam **JOANNES HENRICUS THEODORUS CUNO**, Brunsvicensis, de *Historiae utilitate* orationem recitabit talem, qualis ab eo composita est) *matheseos & philosophiae* scientiam simul exploraturi. Cui exercitationi, qui interesse volent, me, meosque Collegas, examinandos etiam, vehementer sibi devincient. Scrib. Halberstad. a. d. V. Cal. Mai. MDCCCLXVII.



8.0 A 623A

vd 18

Nur für den Lesesaal

ULB Halle

004 585 895

3



noch nicht verbunden







DE
SCHOLASTICA DISCIPLINA

CONTINUATIO TERTIA

PROGRAMMA

QUO

21 =
14 au. 80 A 6281

EXAMEN PUBLICUM

PRIMI ORDINIS

STEPHANEI

ULT. DIE APR. ET CAL. MAIIS

HOR. POMER. A SECUNDA

PUBLICE INSTITUENDUM

INDICIT

CHRISTIANUS GODOFREDUS STRUENSEE. R.



Halberstadii

Typis Delianis MDCCLXVII.

Primo

